



DICASTERIUM DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Soranæ - Cassinensis - Aquinatensis - Pontiscurvi


Beatam Mariam Virginem Reginam, quæ Filium Dei genuit, principem pacis, cuius regni non erit finis, et a populo christiano Regina cæli et Mater misericordiæ salutatur, clerus et christifideles diœcesis Soranæ-Cassinensis-Aquinatensis-Pontiscurvi peculiari necnon assiduo cultu prosequuntur. Inde Excellentissimus Dominus Gerardus Antonazzo, Episcopus Soranus-Cassinensis-Aquinatensis-Pontiscurvi, communia excipiens vota, etiam auctoritatis civilis, electionem beatæ Mariæ Virginis Reginæ sub titulo v.d. "di Canneto" in Patronam apud Deum eiusdem diœcesis rite approbavit. Idem vero, litteris die 25 mensis martii 2024 datis, enixe rogavit ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta Normas de Patronis constituendis, confirmarentur. Dicastrium porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris præscriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

**BEATAM MARIAM VIRGINEM REGINAM
SUB TITULO v.d. "DI CANNETO"
PATRONAM APUD DEUM DIŒCESIS
SORANÆ-CASSINENSIS-AQUINATENSIS-PONTISCURVI**

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Dicasterii de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 16 mensis aprilis 2024.


Arturus Card. Roche
Præfectus

+ *Victorius Franciscus Viola dm*
✠ *Victorius Franciscus Viola, O.F.M.*
Archiepiscopus a Secretis